...bertus

Boguslawski Matthiae Ioan. Cant. Purpura genti-
litiae rosae

P
G
D
GN
&

In R

D
S

Artiu
Visli

& ad

Be

M. M
Arti

PURPURA
GENTILITIÆ ROSÆ,
D. ADALBERTI,
GNESNENSIS olim ARCHIPRÆSULIS & MARTYRIS, REGNIq; POLONIÆ PATRONI,

In Roseo Virtutum & magnorum in Ecclesia DEI meritorum murice,

Perillustris, & Admodùm Reverendi Domini,

D. M. ADALBERTI STASZEWSKI,

In Celeberrima Vniversitate Cracoviensi, Artium & Philosophiæ Doctoris, Ecclesiæ Collegiatæ Vislicensis DECANI, PRÆPOSITI Chroberzscensis, &c.

VERNANS,

& ad Solennem annui eiusdem Patrocinij recursum, in vim debitæ venerationis & devotæ gratulationis, inter ridentes Veris Purpurei delicias,

Benefactori, & Patrono suo amplissimo,

Officioso Calamo

PER

M. MATTHIAM JOANNEM CANTIUM BOGUSŁAWSKI,

Artium Liberalium & Philosophiæ Doctorem ac Professorem, Protunc Scholæ Neo-Corcinensis Directorem,

EXPLICATA.

Anno efflorescentis in Salutem nostram Nazaræi Floris Christi Domini 1694. Die 23. Aprilis.

CRACOVIÆ. TYPIS VNIVERSITATIS.

In Stemma

Perillustris, & Adm̃ Rñdi Dñi.



REGVM deliciæ ROSA, magno digna Senatu,
Pontificum Sacris, est ROSA digna Mitris:
Hæc dum STASZEVIO de Stemmate candida vernat,
Cunctis præclarum monstrat in Orbe Virum.

Antonius Staszewski, Studiosus
Scholæ Neo-Corcinensis.

PURPURA
Gentilitiæ ROSÆ.

ESto Purpureorum prodigus florum, vsq; ad prodigium
Vernantis Naturæ Geni!
tamen dicant de te fasti, æuiterni rerum obseruatarum dictatores:
erubescisne Purpureum in Rosis nitorem?
Minimè,
licet inter spinas.
Hyblæ quippe calathos, perbellè calles,
Spinarum aculeis, ob Purpuram condi.
Hoc nimirum Maiestatis est,
qualis Reginam florum decet;
rostrato vt satellitio obarmetur in ostro.
Quia quid valeret
Purpura Regij Floris,
ni armatis stiparetur vigilijs?
Ex quibus vt venit, à longè reverentia maior;
ita inter spinas manet cortina securior.
Hinc
Solus est Tyresiâ cæcior sub sole,
qui aculeatas frustra excubias, Rosis congenitas diceret.
Cùm & æterna rerum omnium Parens,
DEI & Naturæ prouidentia, non fecit frustra:
Dum Rosis sic prouidit:
Vt reuerentiùs, magnificentiùs, & securiùs
inter lanceolas spinarum & cuspides,
Cæsaream explicarent sui floris Cæsariem.
Nequè vulgarium hortorum aut pestilentis Sardiniæ flos est
ROSA,
Sed solus in solo, Hesperidum Paradiso æmulus hortus,
ROSÆ delicium est.
Non solæ Rosam sub sole
Adonidis deliciæ lactant delectantquè.
Regina hæc florum, & Purpura veris,
Longè augustiùs vernauit
in Divinissimi ADALBERTI

 Archi-

Archipræſulis Gneſnenſis,
Gentilitio decore.
Paradiſus deliciarum ei in pectore illius eſt,
Hunc Archipræſuleum Florem Diuiniſſimi Pneumatis Eteſiæ,
ita afflarûnt,
Vt virtutum amæniſſimum fuiſſet Pæſtum.
Nec quid quam ad Tiberina littora hâc ROSA
gratius, Roma mirata & venerata erat.
Alemanicus & Pannonicus Danubius
Bohemica fluenta, Polonicus Viſtula,
grato murmure nihil impenſius colunt.
In ea pluſquam in Mileſia
Chriſti bonus odor eſt.
Tyrio Murice auguſtiorem Purpuram cælo præſentat,
Quam ei Prutenicus tinxit Rubicon.
Omnis ſuavitas, ſalus & medella Poloniæ,
In ea ſita eſt.
Nequè ſacrilegâ manu decerptam puta ;
quæ transfuſis virtutum incrementis
in Te amæniſſimè vernat,
Perilluſtris & Admodum Reuerende Domine
D. ADALBERTE, CASIMIRE STASZEWSKI.
Eccleſiæ Collegiatæ Viſlicenſis Decane &c.
Vir non niſi Roſeo vernantis ſuadæ ore celebrande.
Tu vix nobiles cunas egreſſus,
tenellas capaciſſimæ indolis Tuæ dotes,
ita innocenti Roſarum rubore ſuffudiſti,
Vt Roſeus fieres totus, animo purpureus totus.
Claram per Lucinam, vix in lucem editus,
Illico intaminatis virtutum ſplendoribus adeo effulſiſti,
Vt in aurora ætatis, meridiem futuræ claritatis exhiberes.
Pulchro quidem Natalium oſtro decorus,
ſed pulchriùs inſigni probitatis Purpurâ vernâſti,
vel in primo ætatis vere.
Quod Rosa inter flores, hoc Tu inter Muſarum cultores exſtitiſti.
Cracius Apollo Te inter primas delicias poſuerat,
quem fragrantiâ virtutum delectâſti.
In Palladis horto omnes Gratias complexus es,
cum Reginæ Eloquentiæ flores & Tulliana decora,

in

in vnum fasciculum collecta,
vt novum CornuCopiæ præsentâsti.
ROSÆ Tuo veniebant ab ore;
Quoties novus pro rostris Hortensius, novam Hesperiam explicuisti.
Parnassum deserere visæ sunt Pierides,
cùm Tu novum in pectore Tuo eis exhiberes Heliconem.
Refloruit & inter Spinas Logicas,
Roseum ingenium Tuum,
Nunquam acumen præseferens, nisi quo difficultates pungerentur.
Naturalis Scientiæ theatrum ingressus,
velut Rosa in diebus Vernis animos audientium recreâsti.
Cùm de Materia & Forma subtilia edicta promeres,
novam materiem laudum Tibi auxisti:
novam Formam Eruditionis solidæ in Te demonstrâsti.
Porro cùm Tibi semper fuerit in motu quies,
Nunquam tranquillam mentem intra mundi compagem tenuisti,
quin cælo contermina ibi quiesceret, vbi vera quies,
in assiduo in DEVM motu est.
Ita ergo,
de Cælo & Mundo Tractatus explicuisti,
vt à mundi illecebris mundus, *sublimi ferires sidera vertice*.
Anima actus primus,
ita in Te ordinata erat;
vt secundis Virtutum actibus ad purissimum Actum elevaretur.
Sic, vt
causas rerum cognoscere valeres,
Causam primo Altissimam explorare voluisti:
in qua eminenter omnis felicitas & perfectionis nostræ
Vera formalitas est.
Inde Tibi Metaphysica non fuit Meta Physica;
cùm revelatis etiam Theologiæ principijs,
Principem Tuam Potentiam illustrare volueris.
Et certè,
Gentilitius Divinissimi Tutelaris Flos,
Tibi Cynosura gloriæ fuit,
cuius splendorem aspiciens,
non tantùm per Stagyreum Euryppum;
sed etiam per Aquinatica Flumina auream mentis Tuæ Argonavim,

ad colles Laureati honoris duxisti.
Regina Scientiarum Cracia Pallas,
quæ Te ex privatis Gostomij Laribus,
ad beatam suæ eruditionis Insulam transtulerat,
Satis esse duxit,
Tibi pro aureo vellere, Iagellonicum Manipulum offerre.
Magis enim hic beat suos cultores, quàm olim Iasonem Phrygius Aries.
Bis ergo Laureatus,
tantam fœcunditatem à Iagellonico Fasce sumpsisti,
vt Te brevi Togatum ipsi OSSOLINIæ ASCIæ fasces exambirent.
Quasi Te magno ingenio Consulem,
in Republica Literaria cognovissent.
Architecta gloriæ immortalis ASCIA,
tot heroicis operibus expolita,
vt Polono Iovi in triumphum cederet,
Rosa Tua debuit coronari.
Verum post expolitam magis magisq; ingenio Tuo Securim:
vt securiùs ad bravium gloriæ cucurrisset,
Myszkoviorum Virtus,
SOLEAM Gentilitiam Tuæ manuductioni cõmiserãt;
vt quidquid calcaret, Rosa fieret.
Neq; publico Sole digna SOLEA spe sua frustrata erat,
quam per Studiorum Labyrinthum,
per vestigia gloriæ & probatæ vitæ,
magis quàm suo Ariadna filo Theseum duxisti.
Cucurrit in odorem suavitatis Tuæ,
Illustrissimus Myszkoviæ Indolis Genius,
adeò; vt nunquàm à Te avelli proposuerit.
Ligare voluit beneficentiæ suæ funiculis in fasciculum Virtutes Tuas,
vt aras Divorum in Ecclesia Chroberzscensi ornares.
Et certè
cùm jam bonæ famæ gratus odor fueris;
Trzebicianum Olorem illexisti.
Cognoverat nempe concolorem Virtutibus suis Rosam;
quam celeri promotione ad Sacros Ordines promovit.
Vidit & apprimè delectatus est,

quam

quam *floreret odoratis mens Tua docta Rosis?*
quantus in Tuo pectore exemplaris vitæ vernaret Hymettus!
Vidit inquam
Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
D. NICOLAVS de Obory OBORSKI,
DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,
EPISCOPUS LAODICENSIS, &c.
& gemmis Liliorum suorum Te ornavit.
Cùm Roseo ore eloquia casta in Paradyso Ecclesiæ spargeres,
Delicias cordi eius auxeras.
Cùm Aras Divorum votivis cymmelijs ornares,
Præsulum gemmam in Tui traxisti amorem.
Cùm egenorum necessitati provideres, languidos liberalitate foveres,
concentratam Tibi Lilij svavitatem;
vt dein fortiùs vnita virtus operaretur, fecisti.
Pulchram modestiæ Tuæ & verecundi cordis svavitatem,
quantis gratijs Celsissimi Principis,
Illustrissimi, & Reverendissimi Domini,
D. IOANNIS de Małachowice
MAŁACHOWSKI,
EPISCOPI CRACOVIENSIS, DUCIS SEVERIÆ,
Tænia complectitur?
Videt illa,
quomodo dilexisti decorem Domus DEI:
quomodo cum substantia & vitam in ornamentum Ecclesiæ
impendere paratus es!
Nihil Tibi in Vita suavius,
quàm Doctrinæ Christianæ suavitatem pro rostris Ecclesiasticis,
sitienti populo profundere.
efficaci cælestis doctrinæ amuleto,
animarum debilitati ita mederi,
vt salus & integritas in ijs Ver perpetuum agat.
Mansuetudine Tuâ ita omnes demulces;
vt solis nonnisi scelerum Scarabæis & fucis,
quos Roseo Virtutum enecas odore, ingratus sis.
Gemini Tyndaridæ Fratres Tui,
Illustris olim, & Admodùm Reverendus
SIMON, Curatus Lękáviensis,

Philosophici honoris, Virtutisq; apex & Corona,
ADAMVS, Curatus Probolovicensis,
velut Adamas in Ecclesia fulgens
STASZEVII;
calamum sistunt, & verba eripiunt:
quia omni elogio majores sunt.
Ergo totus Roseus,
Totus candidus & rubicundus:
Quia dilectus Deo & hominibus,
Quod olim Persicus Monarcha à subditis,
id à candore Clientis Tui accipe Votum:
Vive, Flore, Vince.
Quod si olim ROSÆ tributariæ fuerint,
Principibus ac Dinastis Orientis in censum datæ:
accipies benigno sinu hoc quoq; tributum:
quia Tuum;
quod ex gratiarum horto decerptum,
Magno Nomini Tuo substernit gratitudo mea.
Vernet Tibi ROSA,
Amplissimis in Ecclesia DEI honoribus
nec marcescat.
Cujus si non benè rudi calamo depinxi colores,
Tu multorum Annorum Nestor,
vti Idea omnium Virtutum,
in Temetipso exactiùs illos exprimes:
Quia in Te,
Magni Archipræsulis & Martyris,
Vernans vivæ probitatis & sapientiæ
ROSA,
PURPURASCIT.

Permissu Magnifici Domini
RECTORIS.